

Biogr. er. D
1549, 60

EPISTOLA
AD
VIRVM DOCTISSIMVM
HENR. OTTON. BOSSECKIVM

CVM
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. XXII. FEBR. MDCCCXXXVIII.

PHILOSOPHIAE MAGISTER

CREATVS ESSET
GRATVLANDI CAUSA SCRIPTA

A
FRIDERICO PLATNER

LIPSIENSI.

Biogr. erud.
N^o 1549, 60

1849. Erud. f. 109 — Vol. Bon. — Bra.

ERSTES

VON HERRN

OTTO BOSE

IN AACHEN

VERLAG

1852

ALLE RECHTE

RESERVIERT

65,32




um esset ad me perlatum, TIBI, VIR
DOCTISSIME, Philosophiae docen-
dae ius esse decretum, TE QVE hac die
Magistrum bonarum artium renuntiatum iri; etsi magnum
ex honore TVO, uti debebam, uoluptatem capiebam, ta-
men ualde mirabar, quid esset tandem, cur TV, qui Medi-
corum disciplinis TE tradidisses, non modo philosophiae et
literis istis, quas uocant, humanioribus, tantum temporis
studiique dedisses, quod dudum in TE miratus sum, sed
etiam ex ea scientia honoris aliquid petendum putares.
Etenim Medicos uidebam fuisse permultos, qui ad magnam
in arte sua famam peruenissent, cum essent Graecis Latinis
literis, Philosophiaeque disciplinis, aut leuiter imbuti, aut
omnino rudes, itaque existimabam, bene eos sapienterque
fecisse, qui, medicam artem unice amplexi, tempus suum
rebus, tam aut inanibus, aut superuacuis, non perdidif-
sent. Cum enim iis, qui salutarem artem profitentur, si
uelint auctoritatem sibi comparare, hoc maxime laboran-
dum uidendumque sit, ut idonea suae artis facultatisque,
A 2 morbis



morbis pellendis testimonia edant, ad eam rem quid faciat, uel philosophia, uel rerum olim gestarum memoria, uel Mathematicorum subtilitas, uel Graecarum Latinarumque literarum scientia, reperire non potui.

Ac Literarum quidem Graecarum Latinarumque quid TE, VIR DOCTISSIME, uel summa scientia iuuabit, cum aegrotorum lectis adductus, vitam rogabere? An, si Graece et Latine doctus sis, melius eorum malis occurrere, et desideria explere, poteris? Quid? si HERODOTVM, THYCYDIDEMQUE, cognoueris, si HOMERI carmina tota imberis, si ARISTOTELEM, cum multis aliis, excusseris, si denique CICERONEM, CAESAREM, LIVIUM, omnesque, cum omnibus poëtis, historicos et philosophos, Latinos studiose diligenterque legeris, atque ita ad aegrotos ueneris, an TE uisum fugient febres et reliqua morborum cohors? aut TV propterea melius causas et uim morborum assequere depellesque, quam alius, qui istorum scriptorum ne nomina quidem unquam audiuit? Atque etiam, si ipsum Medicorum patrem, HIPPOCRATEM, assidue legeris, eiusque praeceptiones medicas ex ipsius uerbis cognoueris, quid tandem, dic quaeso, et quantum ad medicinam, melius uel percipiendam, uel exercendam, profeceris? Nam primum quis ignorat, uel noua morborum genera humanum genus inuasisse, de quibus ille nil praecipiat, uel felicitate quadam generis humani euanuisse, de quibus inane fit cognoscere, deinde, quae ille obseruarit, praeceperitque, partim in homines coeli nostri non satis conuenire, partim a recentioribus longe accuratius obseruata esse, et praecepta diligentius, ut frustra quis in imperfectis illis et alienis laboret, cum perfecta et conuenientia suppetant. Quomodo autem TE, VIR DOCTISSIME, mihi que CONIUNCTISSIME, non absterruit, quo minus Graecum HIPPOCRATEM legere uelles, cum ille, id quod omnes Critici profitentur



tentur, ad legendum intelligendumque sit difficillimus, saepissimeque et doctissimi Viri, et Linguae Graecae peritissimi, quod, aut de rebus ignotis et obscuris loquitur, aut res nimis abrupte, et oracula edentis more, eloquitur, eius sententiam uix ac ne uix quidem possint explicare. Me si uelit audire, Medici clari nomen et gloriam appetens, HIPPOCRATEM Criticis et Grammaticis relinquet, qui omnem aetatem Graecae et Latinae linguae tribuunt. Hi eius sensus indagant, corrupta emendent, aut, si nihil aliud, certe aequae ac ipse quondam homines et animalia, lacerent. Crede mihi, experto, multi laboris et diuturni temporis rem esse, aliquam facultatem intelligendorum Graecorum scriptorum consequi, etiam eorum, qui clare et dilucide scripserunt, nedum HIPPOCRATIS, et similium. Quid ergo proficiet Medicus, qui Graeca etiam uolet discere? Nempe nihil aliud, nisi hoc, ut, ope alicuius Lexici, possit qualemcunque sensum uerbis HIPPOCRATIS attribuere, et disputationum Academicarum notas locis HIPPOCRATEIS, aut aliorum Graecorum Medicorum, non legendo ipsos, animaduersis, sed ab aliis indicatis, et qualitercunque intellectis, ornare: quo nihil aliud consequetur, nisi, ut risum intelligentibus debeat, et Grammaticorum spiritus augeat, cum uiderint, aliarum disciplinarum studiosos, a suis literis ornamenta petenda putare.

Quid de Mathesi dicam? quae tam subtilis est, atque obscura, ut pauci semper fuerint, qui operam ei impendere uellent, ueriti, ne accidat sibi, quod multis, ut, ingenio, uel assiduitate, destituti, ad ipsius interiora penetrare non possent. Hanc, scire uelim, quare TIBI ad Medicinae studium assumendam putaris, cuius scientia tot praeclari, diuites, inprimisque gratiosi, Medici aequissimo animo caruerunt: qua negligenda magnum medicae scientiae celeriter consequendae impedimentum sublatum putarunt. Neque
uero



uero in eam utar frigidis et plebeiis dictionibus, ut, quid circulis triangulisque cum morbis commune sit, aut alia, huic similia, quaeram: Illud cupiam ex TE audire, si Medicus internam corporis humani structuram et motum, eiusque mechanicas leges, ita intelligat, ut mathematica ratione ac subtilitate possit omnium, quae in corpore humano, motu, uel solidarum partium, uel fluidorum, eueniunt, ex legibus motus rationem reddere, et causas ac modum explicare? Si inquam hoc possit consequi, scire uelim, qualem tandem utilitatem ei hanc tam subtilem, difficilem, et magna temporis impensa parandam, scientiam putes allaturam? An hanc forte, ut tanto facilius possit morborum causas intelligere, et certiora remedia reperire? Quod si TIBI concedam, non uides, quam longa ista, et difficilis foret ad Medicinae scientiam et facultatem via, non, nisi audacissimo, et patientissimo laboris, tentanda? Quin TV breuiorem, et faciliorem, et planiorem, plenamque comitibus, viam ingrederis? Nonne uides, plerosque Medicos, sine his ambagibus, ad morborum naturam et causas cognoscendas, aut saltem remedia inuenienda, peruenisse? et fuisse multos, qui populi uoce probarentur maxime, cum, nec corporis humani structuram, nec sanguinis reliquorumque humorum et succorum motum subtiliter indagassent, nec eorum, quae in corpore euenirent, mathematicas rationes afferre possent, nunquam Mathesin didicissent, sed maximopere ab eius spinis abhorrent, quod tempus sine utilitate ei discendae tributum, magis perditum, quam collocatum, putarent. Atque etiam illud ignorare non potes, DOCTISSIME BOSSECK, doctissimos Medicos iudicare, mathematicam rerum naturalium et medicarum explicationem ne assequi quidem posse ingenium humanum, nisi in perpauca rebus, maleque et sibi, et medicae arti consulere, qui eam ad mathematicam subtilitatem potius
exi-



exigere, quam ab obseruationibus diligenter et accurate institutis repetere, uelint, audeantque hominibus persuadere, mathematicam certitudinem se induxisse rebus iis, in quibus tradendis uerba Mathematicorum et algebraica signa crebro usurpassent. Quae si ita sunt, quomodo TIBI tam male consulere potuisti, ut mathematicarum rerum disciplinam TIBI percipiendam putaris, et tam inanem, atque, ad opinionem hominum, etiam noxium, laborem deuoraris? Alia est Historiae ratio in eo, quod suauis est et iucunda, cum Mathesis horrida sit, atque tristis; in eo uero par et simillima, quod et ipsa nihil ad Medicinam melius discendam exercendamque facit. At illa forte Historia, quam naturalem uocant, insignem praestabit utilitatem? Noli credere, HONORATISSIME BOSSECK. Nam, quid hoc ad morbos profligandos facit, si possis omnia animalia, plantas, lapides, ex ordine enarrare, quae PLINIUS Maior, in amplo illo opere, quod *Historiam Naturalem* inscribit, et multi recentiorum curiose collegere. Quid si tam perfectam habeas, omnibusque numeris absolutam, scientiam, ut possis omnia ea, uel digito ostendere, nomina recensere, figuras describere, attributa enumerare: an propterea celerius, morbis medebere, aut melius? an ullum inde quaestum facies, et non potius plurimum pecuniae in libris pretiosis emendis, perdes? O! quanto plus sibi consulunt, qui materiam medicam, quam pharmacopolae tractant, cognoscere student: quod et facilius, et minori longe impensa, et salubrius, faciunt: qui historiam potius medicamentorum, hodie usitatorum, persequuntur, ut, morbo quoque oblato, statim sciant, qui pulueres, potiones, essentiae, et spiritus, cum fugare possint. Hos TV igitur imitari debebas, BOSSECKI DOCTISSIME, non tantopere in illa superiori Historia naturali laborare.

Sed,



Sed, quoniam haec tamen aliquam habent cum Medicina coniunctionem, etsi ualde leuem, minor esse potest admiratio, quod iis aliquid studii tribueris: id autem mirari satis non possum, quod praecipuum studium in ipsam Philosophiam contulisti. Statim enim unusquisque sua sponte uidet, Medicinam et Philosophiam ualde inter se natura sua diuersas esse: Cum haec animo, illa corpori, medicinas porrigat, et igitur, cum ii, qui medicam artem profitentur, corporis tantum curam habeant, cur tam seueras sibi imponant leges, ut etiam animi humani cognitionem, et caetera, quae Philosophia subtiliter tradit, sibi assumenda putent? Nam, quid uel Metaphysicam, Medico, necessariam, uel Logicam, faciat, nihil est. Nam, si omnes spinas Metaphysicorum non minus habeas cognitatas, quam plantas Botanicorum, si de omnibus illis metaphysicis quaestionibus, de spatio, monadibus, mundo optimo, aliisque, subtilissime differere possis, si omnia Metaphysicorum vocabula, et diuisiones entis scholasticas, teneas, an quicquam ad Medicinae scientiam et facultatem profeceris? nisi uero uocabulis istis et distinctionibus ueluti magicis formulis terrorem iniici morbis putemus posse, ut, iis auditis, fugam capessant. Subtilitatem porro differendi quorsum assumsisti, cuius, neque in consolandis aegrotis, neque in magnis curationibus pollicendis, neque in formulis remediorum scribendis, ullus usus esse potest? Si porro omnes leges, quas natura sanxit, cognoueris, si, quid iustum, aequumue, sit, quid deceat, uel dedeceat, didiceris, quam poteris utilitatem, ad studium TVVM pertinentem, ex his omnibus ferre. Atque etiam uide, ne TE impediant ista magnopere. Iam tu illud fortasse dices, eas literas magnum Medico afferre ornamentum, magnam laudem: sit ita: quanquam mox, aliter esse, docebo: an TV nescis, mi BOSSECKI, maxime homines, his praesertim temporibus, his opinionibus ac moribus ornari


nari



nari iis, quae rem familiarem augent maxime. Nam hinc ornamenta, uestitus, aedium, totiusque cultus, ueniunt, quae caeteris omnibus, quae ex omnibus, maiora sunt hominis ornamenta. Talia uero ornamenta non poteris, his literis, sed ipsa Medicina, celeriter, et audacter facienda, congerere. Ille quidem literae ualde ferreae sunt, Praxis, praesertim his temporibus, aurea. Sed, si etiam, pro TVO ingenio, et paternae domus disciplina, non his aureis ornamentis nimium tenere, tamen, quo usque poteris, his literis operam dare. Poterisne adhuc ex iisdem delectationem ornamentaque quaerere, cum tempus illud uenerit, cum ad aegrotantium lectos concursandum, cum TIBI per omnes plateas, magnis passibus, non opinionis commouendae, sed auxilii, plurimis ferendi, causa, a mane ad uesperam, festinandum erit, cum ubiuis potius, quam domi, et in bibliotheca, habitare poteris. Tum laboris uarietas TE ab his literis sua sponte remouebit, et, quae tanto labore didicisti, et, in quorum scientia TIBI comparanda tam multum diligentiae studiique adhibuisti, obliuioni permittentur. Tum sero forte illorum Virorum sapientiam intelliges, qui omne tempus, in harum literarum studiis consumtum, periisse putant. Cum uero nullus homo sit tam truncus, quin laudis sensu, et gloriae consequendae spe, moueatur, et res propterea maxime arduas suscipiat: excusari ac ferri istud doctrinae elegantis ac subtilis studium possit, si ea, quae speratur, ex eo gloria ad Medicos redundaret. Nunc certo scio, Medicos eos, qui, maioris gloriae comparandae causa, Philosophiam, Historiam, Mathesin, et Linguam Graecam ac Latinam, discant, uana spe decipi, et eludi. Noli igitur sperare, summa diligentia, in his literis posita, et magna earum scientia, TE DOCTISSIME BOSSECK, posse illorum gloriam superare, qui nunquam ne Philosophiae quidem

B

dem



dem nomen audiuerunt, qui nunquam HIPPOCRATEM,
 aut GALENUM, aut CELSUM, aut illum, ipsa mole
 sua terribilem, PLINIVM, et alios TVAE artis Patres le-
 gerunt, uel uiderunt, uel omnino uixisse, didicerunt, qui
 Graeca non intelligunt, nec Latine plus sciunt, quam ali-
 quis honestus et bonus pharmacopola, aut tonsor, circuli
 quot partes numerentur, non magis, quam, quot stellae
 sint, tenent, et tamen summi Medici iactantur; qui to-
 tum fere terrarum Orbem percurstant, et stupenda suae ar-
 tis miracula edunt, caecis uisum pariter, ac surdis audi-
 tum, restitunt, qui arcana, et uniuersis morbis tollendis
 sufficientia, medicamenta tenent, quibus ita omnibus uti-
 que opem ferre possunt, ut quidem seruatores Dii uide-
 antur, et in quibuscunque locis pedes ponant, ea ipsorum
 laudibus resonent, inde publice priuatimque de eorum lau-
 dibus scribatur, qui, facto per omnem orbem terrarum
 itinere, ubique expressa suae artis uestigia reliquerunt.
 Atqui hos tales tantosque Medicos, tanta gloria onustos,
 putasne Philosophiam didicisse, ut ad hoc gloriae culmen
 eueherentur, aut historiam, mathefin, Linguam Graecam
 et Latinam, aut didicisse subtiliter cogitare et apte disse-
 rere. Non profecto. Nam, hi sapientissimi homines,
 non uerborum elegantiam, sed factorum grauitatem, in
 Medico spectari, recte putant, oportere: quod etiam na-
 turae maxime est consentaneum, ut, quae Medici prae-
 cipiunt, naturali sua pulchritudine commendentur, omnis-
 que uerborum cultus expertia sint, sitque Medicina uere
 et proprie, ut apud VIRGILIVM dicitur, ars muta. Atque
 etiam uereor magnopere, ne illis tam multis, elegantibus
 et reconditis literis non modo non munias TIBI uiam ad
 laudem et gloriam, sed etiam intercludas. Non ignoras,
 uetus esse de Medicorum religione dicterium, ueterem su-
 spicionem. Eam autem unde natam putas, nisi a Medicis
 iis,

iis, qui non satis habebant mederi morbis, sed etiam Graece plurimum et Latine scire, philosophiam nosse, mathematica callere nolebant. Nam profecto non reperies, ullum unquam Medicum, harum doctrinarum expertem, qui se intra Medicinae faciendae fines contineret, in suspensionem uenisse, quasi de religione parum recte ac pie sentiret. Eam autem opinionem, quam noxiam putas, esse, Medici non modo gloriae, sed etiam utilitati, quae maxime a piis foeminis pendet. Quid quod etiam interdum de istis eleganter doctis Medicis audimus dicere homines prudentes, quod de eleganter doctis Iure Consultis solent: eos ualde quidem doctos esse, et bonos theoreticos, sed non probabiles Practicos. Recte. Nam, ut quisque in quoque genere exquisitius doctus est, ita magis temeritas et impudentia minuitur: quo quis minus scit, hoc certius et confidentius agit.

Cur tandem his tam horridis, alienis a consilio TVO, inanibus, et periculosis, literis ita dedisti operam, ut etiam MAGISTER earum possis creari? Hoc maxime solent spectare ii, qui artem aliquam, disciplinamue, discunt, ut sibi consulant, et hinc solent id eligere maxime, in quo maxima rei augendae, uel honoris potiundi, spes est. Si igitur, harum rerum aliqua spe incensus, in Philosophia et caeteris elegantioribus disciplinis elaborasti, doleo, TE tam uehementer deceptum esse, SVAVISSIME BOSSECK. Non animaduertisti, ea studia uel propterea negligi, quod minus ad rem augendam sint accommodata? Quotidiana docet experientia, Philosophos pauperes esse. Vide uero eos Medicos, qui nihil didicerunt, praeter morborum nomina, et remediorum formulas, et arcana quaedam, quam prope diripiantur ab hominibus, eorum opem implorantibus, quam nummati sint, quam beati. Quid ergo? mi BOSSECKI: qua mente, quo
ani-



animo, es? Non TE incipit poenitere studii et laboris in istis disciplinis positi? non honoris, quem hodie capis, recepti? Non TV iam malles rudis esse istius elegantis doctrinae? Sed noui animum TVVM, noui constantiam TVAM, quae TE ab eo, quod semel in animum induxeris, dimoueri non finit; itaque ualde dubito, TE locum Orationi meae relicturum, praesertim, cum in familia TVA habeas exempla, primum AVI TVI, deinde AFFINIS, quorum uterque, eadem, qua TV, uia ad medicam scientiam contendit, felicissimo euentu. Quos TV ergo uideris imitari uelle, atque hactenus excusatione dignus uideris. Ego autem, pro meo in TE uerissimo amore, uehementer opto, ut, quorum instituta imitaris, eorum etiam fortuna utaris, gloriamque consequaris. Id ut contingat uiuente, uidente, gaudente PATRE CONSULTISSIMO, talibusque FILIIS dignissimo, atque eius rei initia et omina sint honores ii, quos TIBI Amplissimus Ordo Philosophorum hodie tribuit, qui ut TIBI bene feliciterque eueniant, ex animo opto. Si uero TE rogo, ut eodem in me in posterum esse uelis animo, quo huc usque fuisti, non id eo a me fieri puta consilio, quasi de animo TVO dubitem, quod iniurium esset, sed, ut intelligas, quantum mea interesse putem, me a TE amari. Rogo igitur, ut antiquam illam amicitiam mihi in perpetuum uelis seruare. Quod si feceris, facias autem certissime, me felicissimum iure meritoque putabo.

Dabam Lipsiae, d. XXII Febr. c l o l o c c x x x x v i i i .

LITERIS BREITKOPFIANIS.

